**C**redo quoq; pro cōmitto: ornatissimū ē: ut credo tibi grandem pecuniam: nam grāde ad iectiuū nomen prole uel etati cōuenit: uel pecunie: pecunie exemplum supra posuimus: sed hic grandior Nescore videtur: idest q; Nescorem ante eat etate: & hic ē grandis natu. significat longeuum hominem atq; admodum senē & quia de natu: mētio facta est: maior natu ornatissie significat senior sicut miorē natu miorē

Confido.

Credo.

Grandis.

Grandior.

Grandis natu

Maiores natu & nō maior dicitur

**I**nsup haud in lepida sit interposita nōnūq; ī oratione atq; interiecta parentesis: **V**t dedisti ad me que mea est summa voluptas suauissias litteras. **O**mnes amicos nisi fallor plurimum admiraris: scire vellem ex te ea namq; ē amicorum cōsuetudo quid ī **M.** Antonii causa egeris & ita demū re postulante nostrā orationē eius modi iterpositioibus aspergamus.

De parentesi in oratione.

**H**ec res apud me increbuit: idest ad aures puenit: & notitiā rei significat: nescio hāc rem: ignoro. preterit me: fugit me: latet me: huius rei nesciō sū. hec res sciētia meā fugit.

Hec res apud me increbuit. Nescio hāc re.

hec reliquū



**H**oc reliquū. & hoc restat ppulcre et magno

Reliquū ē. restat.

*Rumor  
sino.*

*Accipere.*

*De .ce. adiective  
addita his casibus  
q. i. s. desinunt*

*De prepositione  
q. postponit  
& preponit*

*Clam.*

*ut ita me pfectus e.*

cum ornatu idem significat exēplum est: omnia tibi & fortuna & natura tribuit: reliquū est ut bene & laudabiliter viuas: rumor est vulgo & cōmuni dicitur: & ornatus sermo est.

**¶** Accipere pro audire: & cognoscere perueniste dicitur. ut accepi rumoribus: quorum est incertus autor: accepi hominū fama que certo autore cōtinetur. accepi nunciis: quos nuncius & qui mittitur affert: accepi litteris: quas ab amicis plerumq; accipimus: & in aliis item cōsimilibus locis.

**¶** Pronomibus articularibus demonstratiuis consueuerūt oratores addere. ce. adiectionē in his casibus qui in .s. desinūt: euphonie causa ut hisce: hosce: hasce pro his: hos: has.

**¶** Sepe ppositio que preponi solet: postponit & significantia eadem manet. & in quibusdam quidem semper que sunt: mecum: tecum: secū: nobiscum: vobiscum: In quibusdam autem nō semper: vt quicum: quocū: quibuscū: te prppē ac te propter. & propter te idem significat. & sic quibuscum: & cum quibus. & in his potissimum ea prepositionum translatio fit: que mō enumerauimus.

**¶** Clam plerūq; prepositio est: & nōnunq; ad uerbum. sed oratores potius prepositionē accipiunt: siue coniungatur ablatiuo uti Pristia

*Ecce qd  
de Rumoribus  
qui est*

*Collo*

Ecce op  
de Rel  
qui est

nus sentit: siue accusatiuo: quod opinatur Do/  
natus: ut clā me pfectus est: idest me nesciēte

**C**oram cū accētū in prima sillaba prepositio  
est: & quid significet nemo est qui nesciat. Cū  
accentu vero in vltima sillaba aduerbium pul/  
cherrimum est: significās ut ita dicam presen/  
tialit̄ quo frequētissime docti viri vtuntur ut  
apud M. Ciceronem. cupio tecum coram ioca  
ri. & coram tecum loquar.

**P**resto sū. sigīficat adsum. & fere appareo  
& sic idem aduerbium eiusdē verbi modis om/  
nibus & temporibus peruenuiste connectitur  
in eadem quā modo posuimus significantia: ut  
presto michi fuit seruus tu9 vrbem igrediēti.

**L**icet mihi esse bonū virū & licet michi bo/  
no viro esse vtrūq; latine dicitur: sed poster9  
magis oratorum est.

**P**erpetuo & inperpetuū aduerbialiter pro/  
eodem modo. & eis frequēter vtimur.

**D**euitio verbū cum pulcherrimū est: tum  
precipue epistolis congruit: significat autē de/  
uītio: obligo. ut deuinctus est: idest obligatus  
est: sicut ut sepe obnoxius: quod non solū trito  
modo sigīficat quod notū est sed etiā deuictū.

Collocare

**C**ollocare apud aliquem beneficium: est ali/  
cui benefacere vt apud gratos viros benefici/  
um collocasti.

Corā . ppositio  
et aduerbium

Corā adūbū  
sig. p̄sentia

Presto sum

Licet m̄ ee bo  
nu viru. vt  
ornatio dr sic  
h̄ m̄ bono voce  
pp̄. p̄petuu

Deuincio

Collocare b̄ne

Aduerbia in .i.  
desinentia &  
etiam in .o.  
& in .v.

Ruri. Vesperis  
Serio. cosulto

Interdium  
nocturnum

Nullus

Gratificor  
Indulgeo

Nimio somno  
indulget ut  
nimio cibo: ut  
vino indulget

**M**ulta aduerbia in .i. exeuntia: etiā in ipsis  
epistolis pulcherrima sunt: sed hec in primis  
ruri: vesperi: domi: multa item in .o. ut sero: se-  
rio: cōsulto: postremo: modo: falso: merito: pre-  
cario . cetera vero in eodem exitu desinentia  
haud in frequēti sunt oratorum vsu: in .u. vero  
crebra sunt diu cuius manifesta significātia est  
interdium: quod quasi est infra medii diei tēpus:  
& noctu pro nocte: quod magis nomē ē. vnde  
die noctuq; dicimus.

**N**ullus nulla nullum nōnūq; pro nō prefer-  
tim sum es est verbo adiūcto ut nullus sum in  
terii. R. pu. nulla est: quasi nō est: & exticta ē  
idq; etiā ornatissimum est.

**G**ratificor tibi hanc rē: preclare vsurpatur  
& indulgeo sane verbum ē vsitatissimū & splē-  
didi ornatus: quod & datio iūgitur. & ferme  
sigificat do operam. atq; ita exponitur: ut hic  
nimio somno idulget idest nimis dormit: ni-  
mio cibo indulget idest nimis comedit. nimio  
vino idulget idest nimis bibit. & de aliis confi-  
mili pacto. indulgere autē quasi concedere: &  
est verbum: luxuriosam quandam designans  
dementiam: & indulgentem parentez appella-  
mus leniore i liberos ingenio: quod ab ignosco  
plurimū differt. L. i. ius primo ab vrbe cōdita

De aduer-  
bis.

Die noctuq;  
dicimus.

vsu frequen-  
dum

Gratificor  
Indulgeo  
do operam

nimio vino  
indulget . i. nimis  
bibit



**E**st enī ignosco parco: do veniā: excusatum habeo ignosco tibi igitur si quid exempli gratia admiseris sceleris. indulgeo vero ut multa agere impune queas. quorū verborū discrimē diligētissime cōsiderādum est.

**T**antus tāta tantum & quātus quanta quantum: eodem modo ita se habent in aliqua oratione: ut raro alterum absq̃ altero vim habeat. ut Contio hec tanta est: quanta ante hac nunq̃ fuit. tribuis michi tantū: quātum nec cognosco nec postulo. tātum in te est doctrine quātum in doctissimo solet esse viro. & ita de reliquis.

**T**alis et qualis alterutrū creberrime ponit̃ raro vtrūq̃. vt talem solemus sentire bonū virum: & subintelligemus qualem diximus: ecōtra: orator est illustris: qualis alter null⁹ reperitur. verū hec de his satis.

**V**el pro etiā particula multis locis rectissime cōgruit: ut Anibal fuit imperator uel omnium prius. tua eximia virtus: ut te amē: uel maxime impellit.

**V**ersor verbum in frequētissimo vsu est veterum ac disertorum hominū: per diffusaq̃ est eius verbi significantia: & variis deniq̃ potest rationibus exponi: ut ego versor in litterarū studio idest studio litterarum do operam. virtus circa difficile versatur idest virtus in diffi-

Ignosco.  
Indulgeo.

Tantus. a. m.  
Quātus. a. m.

Talis.  
Qualis.

Vel.

Versor.

De aduer-  
bis.

te nocturnus  
dicimus.

gratificor  
indulgeo  
do operam

no vno  
m. m.

*Verſari i tenebris.*

cili cōſtat. verſamur in tenebris: eſt fere ſum⁹  
ac viuimus: & quaſi ſtamus i tenebris. & quod  
eſt exēplis ſuperioribus declaratum duos ſibi  
plerumq; atq; frequentius caſus poſtulat nam  
aut accuſatiuo coniungitur prepoſita circa: aut  
ablatiuo. in. precedente: quoniam ante fundū  
verſari: ad portam verſabatur: perraro dicta  
ſunt. ſed quēadmodū ceteris rebus omibus ita  
huic quoq; ſumma adhibenda eſt diligentia &  
mādande ſunt memorie.

*Non q; due parti-  
cule ornatiffie  
coniungunt.*

**C** Nōnūq; & due particule ornatiffime cōiun-  
guntur: quarum eadem ſit vtriuſq; ſigificatio  
vt eniūero. nā p explēda ſententia: altera dū-  
taxat ſufficere poterat. & ſimiliter: ſin autem  
ſepe dicimus. explende ſententie gratia. eo in  
loco autem particula nullā omnino vim habet  
ſin enī per ſe ſignificat ſed ſi.

*Eniūero  
ſinaut.*

*Sinautem*

*Quoad.*

**C** Quoad pro quouſq; & pro quando: non mi-  
nus ornate ponitur q̄ latie: vt volo eſſe i vrbe  
quoad tu redeas. ita i plurimis locis conſimilit̄.

*Suſcipere.*

**C** Suſcipere nō ſolum quod tritum vulgatūq;  
eſt: ſupra ſe accipere ſignificat & quodāmodo  
adducere aliquid ſignificat: ſed etiam perorna-  
te in epistoſis: cōmēdatum habere: ut ſuſcepit  
Ciceronē **C**esar i ſuis rebus aduerſis: que vtiq;  
poſtrema ſignificatio haud quāq; ſi quis iſpiciat  
accuratius a priore illa aliena eſt.

**O**ptima quoque illa ratio est: ut positivo cuiuspiam adiuncta negatio contrarii positivi vim ac significationem teneat: sed non ita plane tantum & cumulate illam expleat cuius rei exempla subiciamus hic vir est haud improbus. significat enim fore hunc hominem probum potius quam improbum esse habendum & sic phus haud ignobilis. histrio non illepidus. miles non instrenuus. civis haud quam malus. nam in his eorumque similibus rectius atque usitatus dicitur: queuis laudis cuiusdam est sed quasi diminute atque diffraudate laudis.

**Q**uod grammatici frequentius dicunt. peto te hanc rem: ornatus nec minus latine dici queat peto hanc rem a te: & id pulcherrimum Cicero in epistolis consuevit.

**C**onfiteor passiva voce crebro usitatum est pro eo quod est fere pereo: & confectus quasi consumptus. ut vir inops & miser fame: frigore: dolore: conficitur. & sic amicis etate: estu: conficitur atque merore labore senio confectus. & de aliis. itidem

**A**blativi casus non participiorum solum verum etiam nominum aliorum: in oratione per concinnationem ponuntur: presertim si qua fuerit significatio temporis: & participiis quidem manifestum est. ut regnante Octaviano Cesare parata est uniuerso orbi pax: id est qua tempestate regnabat Octavianus Cesar. & alia: Dionisio Siraculis ti

De negatione iuncta  
positiuo.

- . haud improbus
- . haud ignobilis
- . Non illepidus
- . Non instrenuus

Vbi grammatici ponunt actum orationes res ponunt ablatum

De confiteor voce  
passiva  
Confectus.

Ablativi casus non participiorum solum sed etiam nominum aliorum in oratione ponuntur.

rānidem gerēte ī Sicilia grauiſſima bella geſta  
ſunt ideſt quo tēpore ſiracuſanorū **Dionisius** ti  
rannus erat. Sed eodē quoq; modo alia quedā  
ſe habent nomina maxime vero: ſi dignitatum  
atq; honorū extiterint: vt **Cornelio** & **Lelio**  
curulib9 acte theatro fabule ſunt: quidā addūt  
participium exiſtentibus. ſed nos perhibemus  
quod non ad venuſtatem oratiois pertinet ad  
di oportere & item **Scipione** conſule: peni de  
uicti ſunt: **Scipione** imperatore euerſa eſt. **Nu**  
**mātia**. & reliqua huiuſcemodi pariter.

**L**icet tā grāmāticē q̄ oratorie genitiōs quo  
rūcūq; caſualiū cū poſſeſſiuis quocūq; caſu pla  
tis coniungere: quod vel **Priſtiani** tradidit. ut  
mea cauſa venit: & ceterorū amicorū. & meū  
agrū: & **M. Antonii** hoſtes populati ſunt: tuo  
amico ac fratris gratificare: tuū imperatorem  
ſectare & cōmilitonū. noſter & fratris amic9  
ſua ille confidit & ciuium prudentia. atq; ita fi  
guratur conſtructio ī omībus poſſeſſiuis: hinc  
**Terentianum** illud: meo preſidio atq; hoſpitis  
idq; penitus inſpiciendum ſit.

**S**uus etiā in diſcretionis ſeu habundantie cu  
iuſdam gratia ſolet addi cum genitiuo poſſeſſo  
ris noiatiuus poſſeſſiu9 vt ſuus eſt **Ceſaris** moſ  
ideſt eius moſ & non alterius. ſuus **Titi** filius  
heres teſtamento conſtitutus eſt. ſuus vt ipſe

Veniſtiq; hęc ozo  
line participio ſcri  
bit

Genitiui cū poſſeſ  
ſiuis cōiungere poſ  
ſunt vt mea cau  
ſa: meo preſidio.

De hiſ q̄  
ad poſſeſ  
ſione ſpe  
ctant.

De ſuus. a. 12.

quoque Pristianus exponit ad discretionem eius qui secundum leges suus non est: id est sub potestate patris legitimi non est: suus autem pro vniuscuiusque pro proprio accepit. quod ipsum apud viros etiam eloquentissimos frequens est.

**C** Die quarta ut Noni Marcellus etiam testis est: & die quarto non idem significat sed masculino genere preteritum designatur tempus. ut sit die quarto: pro eo quod aliter Nudi quartus dicitur nudi tertius & sic de aliis. feminino futurum: quod vetustissimi tamen aliter protulerunt.

**T**ua causa feci: & tui causa feci: ne preter veterum & doctorum consuetudinem aliquid efficiamus: inter sese haud mediocriter discernuntur nam tui causa tunc dicimus. si quid ei ad quem sermonem vertimus prestiterimus. ut tui causa ad Antonii castra profectus sum: quod est: tui gratia: sed tua causa cum tua ut ita dicam contemplatione aliquid alteri prestiterimus: ut tua causa fratris tui causam legimus.

**E**t quia aliquid de his que ad possessionem spectant locuti sumus: haud ab re fuerit differentiam eam proferre in medium: que est inter genitivos primitiui: & possessiui: mei: tui: sui: nostri: vestri: quam tandem pulcherrime Pristianus attingit. vox namque est eadem: at vis ipsa longe diversa. cum genitiuis primitiui simpliciter signi-

• Dies feminini generis

• Dies masculini generis

• Nudius quartus

• Nudius tertius

• Tua causa.

• Tui causa.

• De mei. tui. sui. nostri. vestri.

de his que ad possessionem spectant.

ficat possessionez. possessiui vero duplicem: ut  
mei amicus est. meus amicus. sed mei filii ami-  
cus duplicem possessionem continet alterā me-  
am in filio: alteram filii in amico quod eo subie-  
cimus: ne cum ornatum inquirimus: verborum  
vim ignoremus. ipsam atq; in errorem quēpiā  
imprudētes incidamus. sed instituta persequamur

*hec res m̄ in men-  
tem uenit. hec res  
michi cure est: &  
huius rei i<sup>o</sup>*

**H**ec res michi in mentem venit dicitur & cū  
genitiuo huius michi rei in mentem venit: hec  
res michi cure est: an pro nominatio genitiui  
positus sit. vtrumq; vero non solum poete. sed  
etiam. **M. Cicero** usurpauit.

*possumus uti  
presentibus temporibus  
per preteritū: &  
nonnunquam per futurū*

**O**ratores sicut & poete per sepe presentibus  
temporibus: pro temporibus preteritis: nonnunquam  
& pro futuris utuntur. verū id quidem & mul-  
to rarius: sed econtra. haud crebro fit: nisi for-  
te inquit verbum quod futuri temporis est pre-  
terito loco vel presentis accipiamus. sed multa  
que super his dici possunt in aliud potius tem-  
pus seruamus.

*loco daturus  
seu ablatiui  
genitiui utimur.*

**S**imilis & plenus nominā quorum prius etiam  
datiuo iungitur: posterius etiam ablatiuo. ora-  
tores ut plurimum: ac fere semper: genitio con-  
iungunt. ut similis es tuorum maiorū: dignita-  
tis officii plenus: nonnunquam vero sed per raro per-  
feruntur cum superioribus casibus.

*Imperatiui et  
& subiunctiui  
loco aliorum temporum  
utimur.*

**S**epenumero maioris significatiue causa: vel

ornatissime imperatiuus & subiunctiuus iunguntur. quod Cicero per sepe efficere solebat: quale est illud: Cura ut vir sis: & alio in loco scribes ad filium: effice & labora ut excellas.

**D**ecurritur spaciū: cenatur rationibus: praedetur turtur: consimiliaque pulcherrime dicuntur atque sicut absoluta interdum verba obliquis casibus adiunguntur: ita transitiva quoque: licet non nunquam non solum pro grammaticorum more: sed etiam pro oratorum consuetudine: absolute proferuntur. presertim vero si qua sui passio cum actione ipsa significatur. qualia illa sunt: amo: lugeo: rideo: metuo: que tantum transitiva sunt: nunc absolute proferuntur.

**Q**ue in abundus exeunt nomina non tam similitudinem significant quod plerique arbitrantur: quam abundantiam quandam potius: ac vehementiam ut gloriabundus. non tam gloriantis similis quam abunde sese vehementerque efferens. quam opinionem eloquentium ac eruditissimorum hominum ubique testimoniis comprobata: tu quoque firmius amplectere. nam ut obmittam alios: Gellius auctor probatissimus ex sententia quoque doctissimi Appolinaris: letabundus dicitur inquit: qui abunde letus est. errabundus qui longo atque abundanti errore est & tu quoque iisdem utere nominibus.

**F**retus freta fretum incerti originis ablatio

*Verbis transitivis etiam utimur: ac si essent absoluta.*

*De nominibus in abundus de sententia.*

*Letabundus. Errabundus.*

*De fretis. a. 113.*

iunctum pulcherrimū est: & significat fere cō  
fīsum: ac munitum: vt vestra huānitate fretus  
vestra fretus sapientia. nō mea virtute fret⁹.

*Certiorē facere.*

**C**ertiorē: facere vsitate ac frequēt i episto  
lis vsurpatur nam: fatio te certiorē de hac re  
idest sigifico tibi hāc rē. vt sepissime velim de  
tua valitudie me fatias certiorē per Irās.

*De habeo.*

**H**abeo. varia cōstructiōe figuratū plurimū  
ornatus habet: vt bene hec res se habet. quod  
est fere: ut dicam stat bene hec res: & ita bene  
me habeo. & cum participiis bene me habens  
redeo rure: & cōtrariū aduerbium similiter ei  
verbo iungit quod ē male.

*De participiis  
futuri tēporis.  
tam ab actiuis:  
q̄ passiuis ver  
bis manantibus.*

**P**articipia sepe numero futuri tēporis orna  
tissime vsurpantur: vt scriptur⁹ sum ad Scipio  
onē litteras. quod ē fere debeo scribere. & alia  
tu ad edes Crassi iturus es: quasi ire debes. Ci  
cero ē Athenas profecturus idest pficisci de/  
bet Plaut⁹ i Ciprū trāsiturus est. fere nauiga  
re debet in Ciprum. quod idcirco ita exposui/  
mus prope quoniam is propere. is nauigare. is  
transmittere is soluere. cum locū significat vn  
de proficiscuntur. is demū traicere dicit. quod  
calcem designat. qui rate vehitur. ut Cicero sol  
uit Athenis & i Asiā trāsiecit. verū ad pposi/  
tum redeundum est. illa igit̄ participia que a  
verbis manant passiuis: & passiuē quoq; expo/

*Prope  
Propere  
nauigare  
transmitte  
soluere  
traicere.*



nū̄t v̄ exponi debent. vt cuius insons aīmus ē  
mulctādus non est: idest mulctari & puniri nō  
debet. fontes accusandi sunt. idest accusari de-  
bent: vt flagitiosus tradēdus ē ī carcerē. cōitiē  
dus est ī vincula & alia. reliqua exponantur: ut  
 supra diximus. nec tamen negauerim quin eo  
 rūdē participiorum alia quoq; rō sit: sed ea nos  
 mō p̄sequimur in presentiarum que venustis  
 eloquium reddant.

**Q**uid repeto nōne pulchre ponit: si quid ei  
 accesserit: neq; accūs solū casus: sed & ablatiu9  
vt repeto hanc rem memoria: quod non teneo  
 meōria significat: vt permulti existimant: sed  
 potius memoria voluto: remiscor: & quasi ob/  
 liuioni traditā rursus inuestigo memoria. hoc  
 nos vti verbo ornatissime poterim9: quādo eo  
 dem & veteres eloquētissimi frequēt v̄sunt  
 hinc illud Ciceronis in libro de oratore. Cogi  
tātī mihī & memoria vetera repetētī: & Afri  
canus a Neuo accusatus tribuno plebis q̄ ab  
Anthrocho pecuiaz accepisset: cōmodissime: eo  
verbo v̄s. memoria iquit quirites repeto: hūc  
diē hodiernū esse quo Anibalē penū iimicissi  
mū huic imperio vici intra Africā & pacē vo  
bis ac victoriam peperī inseparabilē. verū cap  
tus ingenti voluptate: lōgius in Africā verbis  
referēdis p̄gressus sum: quāobrē ad nr̄m insti

. De repeto.

Repeto hanc  
rem memoria.

*De pulchro ge-  
nere dicēdi*

*Pro mori.  
Diem obire 209*

*Pro viuere.  
vitā agere 210*

*Ludo ludii 211*

*Viuo vitā 212*

*De oro .*

*De quasi .*

*Id generis .*

tutum referat se oratio.

**Q** Optimū factum fuerit ne eisdē aut modis orationis aut verbis vtamur. & quod iitio diximus: varia plurimū probatur oratio. & si veluti quibusdā flosculis aspergit: vt pro mori. diē obire. mortē oppetere: aīaz exspirare: vita de cedere: vñ excedere vita: aīaz efflare: vita defungi: reb⁹ huānis excedere: ex vita migrare res deserere huānas: exire de vita: mortē obire iterire: occidere: cōsimiliaq; & itē pro viuere. vitā agere: viuere vitā: degere etatē: & ne sigillatī cūcta cōplectar: illud hoc in loco aīaduertēdū sit: q; sicut dicim⁹ sepe. ludo ludum: pugno pugnā: seruo seruitutē: doleo dolorē & similia: ita & iterdū viuo vitā: viuo felicem seu miseram vitam: ut si quis dixerit: qui expeditam virtutē fuerit cōfecti: hii viuēt beatā atq; immortalē vitam: & qui preclarū certamē certauerit: aplissimis donabit munerib⁹: & quod de variis dicimus orōnis modis: idē ipsum de singulis partib⁹ itelligēdū sit. vt pro oro rogo pcor: obtestor: & obsecro: p quasi pene: & ferme: & fere: reliqua tu ipse cōiecta.

**Q** Id gen⁹ pro id generis. quod fere simile nomē exprimit. & pulchre & vsitate dicit: multa sunt id generis mōstrāde. quod est fere similia vñ eiusdē generis mōstrāda de multis id gen⁹

*Animam  
efflare*

reb9 loquit9 est: quod ē similib9. & ita ī aliis.

**Ex sentētia** quasi secūdū volūtātē & prospere: ut gesta res est ex sentētia: quod est prout optabā: & id tibi eueit ex snā. & multis ī locis consimiliter.

**Inferre iuriā**. quasi iuriā facere: manus afferre alicui: est aliquē pulsare: impetū ī quēpiam facere: est fere cū impetu quēpiā & quasi vi adoriri & irruere.

**Dare veniā**: pulcherrīe est ignoscere. & licēciā concedere.

**Ab iūcio etatis habui te amicū** a teneris ānis a paruulo: a primis etatis tēporibus: a teneris vt greci dicūt vnguiculis: a cunabulis ipis amicitia mihi tecū est: & hui9 moī iūes etas pulcherrime adolescētīā significat.

**Ferire fed9** optie atq; optis causis & ferialiū cōsuetudie significat fedus componere: ut p̄sepe ictum v̄ percussum fedus: ē cōstitutū & compositum.

**Est mihi nomē Scipioni**: Scipioni cognomē African9 fuit: cui Pagotroiano nomē erat: & sic de reliquis dtio casu perusitate dicit ac pulcherrime: que eadē & ī aliis quoq; moīs dicūt: sed frequētī9 modos superiores apud eloquētes & doctos viros iueues.

**Cum tritū verbū volum9 ostēdere**: & quod

*Ex sentētia.*

*Inferre iniuriā.  
Manus afferre.  
Impetū facere.*

*Dare ueniā.*

*Ab initio etatis  
pulcherrīe vt hic dicitur.*

*Ferire fedus.  
Ictū v̄ percussum  
sum fedus.*

*Est mihi nomē  
Scipioni.*

*De triti verbi  
ostensione.*

Fert.  
ajunt.  
Dicit.  
Vt. ita. quod.

Noctem superme-  
diam vigilamus.

Contra sermonem  
tuum tendo.  
Contra iter tendo

Macte.

debeamus ef-  
fugere gentile ac  
patrum nomen ut hic

Syracusanus est  
Senesit. Athe-  
nensis. Clusinus.  
Barcinonensis. etc.

in ore populi est: ut in verbo impersonali fertur  
vsus personali verbo. aiunt & nonnunquam dicitur: &  
eis singulis. ut. preponimus: & raro. ita. & in-  
terdum quod: exempla huiusmodi sunt: nam si re-  
nas ut aiunt. surda debemus aure transire: & ite-  
nam ita fertur: ut nusquam tuta sit fides. ite-  
turpe est quod dicitur tumultuante de gradu dei.

Nonnunquam & ita dicimus noctem super mediam vi-  
gilamus quod est ultra mediam noctem: idque &  
Seruius ipse testatur: & quorundam veterum  
comprobat autoritas.

Contra sermonem tuum tendo. est respondeo tibi  
sicut & tendo contra iter. est occurro: sed hoc haud  
in frequenti usu oratorum iuenies.

Macte magis aucte: & est glorie ac laudis ser-  
mo: & plerumque ablatio iungitur. ut macte vir-  
tute esto: idque & poete vsurpant & scriptores  
historiarum: & demum oratores ipsi. qui sermo ut  
multi eruditissimi tradunt a sacris deductus est.

Quoties alicuius explicaturi sumus. siue ge-  
nus: siue locum: gentile ac patrum nomen effugi-  
mus: quod qui secus effecerit: fortasse latine lo-  
qutus sit: sed illepide penitus: atque indecore: ut  
qui fuerit a Siraculis oriundus: non de Siraculis ori-  
undus dicendus est: sed Siracusanus est: non de  
Athenis. sed Atheniensis. non de Clusio sed Clu-  
sinus: non de Senis sed Senensis: atque in generibus

Non de  
sed it  
non de g  
sed gra  
non de c  
sed cat  
non de v  
sed ver  
non de  
nello:  
bonello

Syracu  
& et  
cimon  
ete de  
puto

& familiis nō. de. cū ablatiuo utimur ut multi.  
sed ide nomē effcim⁹. ut nō de stauris sed stau  
rus: nō de graecis: sed graec⁹: nō de catulis. sed  
catulus. nō de dachis. sed dachus. Quam quidē  
ad rem id merito afferendū sit: quod Plini⁹ ip  
se aiebat: q̄ deriuationes firmas regulas nō ha  
bēt: sed exeunt: termināturq̄ vti ipsis autori/  
bus placet: sicut a thauo thaureum & thauri/  
nū dicimus: & quos nos romanos dicimus di/  
cunt greci romeos: quos nos Carthaginenses  
illi carchidoneos.

*Nō de stauris  
sed staur⁹  
nō de graecis  
sed graec⁹  
nō de catulis  
sed catulus.  
nō de Verino  
sed verinus.  
nō de Carbo  
nello: sed Car  
tonello.*

*Nō q̄ in generib⁹  
& familiis nō. de.  
cū ablatio utimur.*

**S**ed in ensis. in us. atq̄ in as. ad loca pertinet  
frequētiore terminationes sunt: ut alabādēsis  
herfeldēsis: cheronēsis Clusinus: magūtin⁹: ta  
rētinus: lacedemonius: Solaminus: mutilene⁹  
thebeus: corinthius: chius: siracusanus: theba  
nus: arpinas: sarcinas: alii quoq̄ sunt eorundē  
noīm exitus: sed ī frequētiore vsu celebrantur  
quod idē & ī quibusdā aliis fit: que neq̄ a gene  
ris noībus fluxere. neq̄ loci vllius ut Terētia  
uus Cremes: Prodit⁹ Hercules: Platonicus  
Giges: Socraticus Gorgias: que ōnia a ppriis  
pfecta sunt: atq̄ originez traxere. sed que alia  
hac de re dici possunt: tu ipse cogitatione com  
plectere.

*Syracusano  
& et Bar  
cimonius re  
cte dicēdu  
puto.*

*De ensis: vs. as*

**C**onor hāc rē. optie ac venuste dicim⁹. p̄serti  
si difficilior sit & ardua: quo pacto Cicero sepe

*Conor hāc rē.*

utebant: ut de perfecto oratore magnum opus  
& arduum brute conamur.

*Studeo.*

**C** Et studeo: si quid studiosius affectaturi sumus  
etiam accusatiuo pulcherrime iungitur.

*Desidero.*

**C** Desidero verbum pulcherrime positum: nam cum  
desiderium sit absentium rerum prope dicimus deside-  
ro amorem tuum: tu non amas me: desidero tuam pru-  
dentiam: quasi sis insipiens: & ita de aliis.

*Complexor.*

**C** Complexor perdiffusum est atque ornatum verbum:  
praesertim vero aliquibus adiectis: hac ratione:  
ut te amore atque benivolentia complexor: pro amo-  
cogitatione complexor: pro cogito & id est animi: sicut fa-  
cultate consequor est rei ipsius.

*Id est animi.*

*De modo gerim  
duo. q. active  
& passive accipit.*

**C** Illud ignorandum non est: quod gerendum modus ab  
omni verbo similiter praecreatur si quando nobis foret eo  
opus: ut catadonem rupit anguis. ut ait Seruius dum  
ei catadonem. & alio in loco active dictum est. ut catadonem tu  
illud id efficere oratores atque usurpare quunt

*passive hic sumit  
active sumit.*

*De Quarto pretor  
et Quartum pretor  
Tertio consul  
& tertium consul*

**C** Putant nonnulli nihil interesse: si quis dixerit  
quarto pretor & quartum pretor: & sic de cete-  
ris: sed magna est in qua differantia. ut M. varro testis est  
nam quarto pretor. locum significat & tres ante fac-  
tos: quartum pretor vero designat tempus. caue igitur  
diligenter ne propter haec utaris rationibus: ne quid  
contra veterum atque eloquentium morem consuetudinemque  
fatiamus: quia tertium consul: & tertio consul non idem  
significat: sed ne plura iam sequar nam infinita pene

Ruri.

huiuscemodī p̄cipi possūt: id tene meōria: quod  
nō rure esse. sed ruri dicimus. quod tum Pom  
peius festus affirmat. tum Publius Terētius  
probat. ait enim. ruri se continebat. quāobrem  
si qua iam reliqua sunt. paucis expediamus: nā  
cum pro confitiēdis epistolis: hec potissimum  
attingerim⁹. si salutationis formulam: & regu  
lam: & Kalēdarum: yduum: nonarumq; obser  
uationem patefecerim: iure huic paruo istitu  
to finem ac modum statuamus. Vale igitur ac  
salue verba pro. M. varronis sententia & oīm  
doctissimorum idem significare vidētur: qui  
bus nos alias in salutando alias in execrando v  
tamur: ex quo & Terētianum illud est. valeāt  
qui inter nos discidiū volunt. ac mortuis quoq;  
& qui mortalium vita decesserunt: quibus nul  
lam huius locis optare salutem possumus. non  
nunq̄ vale dicimus. & veteres ipsi quondam e  
isdem id verbum pro more dicebant: quasi nil  
amplius sibi cum mortuis futurum esset: & im  
perpetuum ab eorum iam aspectu discederēt  
nam neq; valent illi neq; salui esse possunt: ob e  
amq; rem addunt nonnulli: bene ad uerbiuz fe  
liciter ve: aut si qua alia sunt eiusmodi significā  
tie: verūtamen in epistolis quas plerumq; ad  
amicos mittimus. Vale. in fine dicere consueui  
mus absq; vlla aduerbii accessione perinde atq;

Vale.  
Salue.

Terētig.

Vale bene  
felicitate

Vale.

P.T.

hic paruo institu  
to finem ac modum statuamus  
tueri.

M.

illuc hic sum  
tunc sumit.

De salutatioe.

Iubeo Scipionē  
saluere.

Iubeo te gaudere.

Meo noie  
meis verbis

De Kalis. nonis  
dibus.

aicis vite salutē ac felicitatē optemus: quid igit̄  
vale sibi q̄rat: quo ne pacto illo vtēdū sit nosti.

**¶** Pro salutā<sup>ione</sup> autem nos dicimus. salutem dico  
& quem salutare cupimus datiuo casui aptissi-  
me posuerim⁹: vt vale & **C**esari dic salutem.

**¶** Alia quoq; erit salutandi ratio: vt iubeo **S**ci-  
pionem saluere: quod est: **Scipionem saluta**: clā-  
is modus vim quandam desiderii continet: &  
pro antiquorum consuetudine infinitus mod⁹  
in alium trāsumitur. vt iubeo te saluere id est  
salue. iubeo te gaudere pro gaude.

**¶** Quod vero alii ex mea parte. dicūt multo  
quidē ornat⁹ dicit̄ v̄p̄ mō noie. v̄p̄ meis verbis

**¶** Quotum autē cuiusq; mensis diem velimus  
intelligi. **K**alēdis: **n**onis: **ī**dibusve notam⁹ ne-  
q; quid illi sibi velint: explicare nunc consilium  
est: sed quo pacto omnes singulorum mensium  
dies ab eis ad nominationem accipiāt. quāobrē  
itelligendum in primis est. primos omnes cu-  
iusq; mensis dies. **K**alendarū appellatione no-  
tari. secundum quas nonarum dies constituit̄:  
& in aliis quidem mensibus septima luce **M**ar-  
tio: **M**aiō: **I**ulio: **O**ctobri. In aliis autem quinta  
**I**anuario: **F**ebruuario: **A**prili: **I**unio: **A**ugusto:  
**S**eptembri: **N**ouembri: & **D**ecembri. atq; om-  
nes hii dies qui inter **K**alendas & nonas inter-  
cesserunt: nonarum cognominationem cen sen



tur. vbi & numerum nominemus: ac nonas ip-  
fas: & illum ablatiuo casu constituemus: & ac-  
cusatiuo. Sed internumerandum & prepos-  
tero vtemur ordie: & nonarum diem connume-  
rabimus. at nonis exactis proximos octo dies  
idq; in quoquo mense. similiter & yduū cogno-  
minatione significabimus: Sed pari ratione: tū  
ordinis tum adnumerationis: Reliquos vero  
eius mensis quotquot superfuerint dies. Kalē-  
darum appellatione notabimus: que futuri ac  
proximi sint mēsis. neq; ordinis neq; adnume-  
rationis numeratione immutata: atq; id omne  
exemplo illustrandum est. sitq; Martius exē-  
plo: cuius curriculum vno ac triginta die cōfici-  
tur: Prima itaq; dies Kalēde erunt martii. se-  
cunda: sexto nonas martii. tertia: quinto nonas.  
quarta: quarto nonas: quinta: tertio nonas: sex-  
ta non secundo nonas dicitur: sed pridie nonas  
& ita in ydibus atq; Kalendis. Septima die. no-  
ne erūt martie. Octaua dies: octauo ydus mar-  
tii. Nona: septimo ydus. Decima: sexto ydus  
Vndecima: quinto ydus. Duodecima: quarto  
ydus. Decima tertia: tertio ydus. Decima quar-  
ta: pridie ydus. Decima quinta: ydus erūt mar-  
tii. Decima sexta dies: decimo septimo Kalēdas  
Aprilis: quoniā is mēsis proximus cōsequitur  
Decima septia: decimo sexto Klās eiusdē mēsis. De

cia octava: decio quinto Klās. Decianona: quarto  
decio Klās. Vicesia: tertio decio Klās. Vicesia  
pria: duodecio Klās. Vicesia scda: undecio Ka  
lēdas. vicesia tertia: decio Klās. vicesia quarta  
nono Klās. vicesia quinta octavo Klās: vicesima  
sexta: septio Klās: vicesima septia sexto Klās vi  
cesia octava: quinto Klās. vicesimanona quarto  
Klās. Tricesia: tertio Klās. Tricesima prima  
& nouissima: pridie Klās aprilis. cū fuerit Ka  
lēde aprilis. in quo mēse & in ceteris omnibus  
eadē obseruāda ratio est.

*De pridie.*

**D**ierum autem numerus haud te latet qui  
in promptu est oibus: pridie autē Klās: pridie:  
nōnas: pridie ydus dicitur: & significat quod ve  
tustissimi dicebant: die pristini pro aduerbio:  
quod significat die pristino: sicut & pro vetus/  
to more. die crastini & die quinti: & die quīte  
similiter pro aduerbio: Verū nos priscā nimis  
& horridiorē vetustatez ubiq; fugere ac vita/  
re debemus ac bene & preclare Cesar p̄cipere  
solebat: tāq; scopulū sic fugiēdum esse inauditū  
atq; insolens verbum.

*Pro genitiuis men  
suum possessiua  
nomina accipio.*

**P**ro genitiuis autē mensium rectius posses  
sua nomia finxerimus Kalēdas martias & ita  
apriles: maias: iunias: iulias: aut quintiles: au/  
gustas: aut: sextiles. septembres: & ita ianua/  
rias & februarias.

**Q**uod autē i Kalendis: nonis: ydibusq; ablatiuo casui iugimus. idē possumus in accusatiuū transferre: & ad. preponere. sed id significat tēpus fere diuturnius. vt Klās ianuaras: de/ disti ad me lrās. ego vero ad octauas ydus iu/ nias ad te scripsērā: hēt enī vim tēporis vehe/ mētiorē hoc posterius.

De abltio casu  
translato in ac  
cusatiuū.

Ad kts ianuaras.  
Ad octauas ydus iunias.

**N**e igit̃ plura cōscribā hec michi i p̃sentiarū sese obtulerūt que ānotatu digniora visa sunt. queq; tibi multo plus fortasse cōducēt q̃ illorū preceptioēs qui easdē & epistolis & oratioib9 ptes tribuūt: quorū peitus eripiēd9 ē error atq; ita sentiēdū ut i lrīs ipis apte cōcineq; scribamus ac nrām sentētā atq; mētē q̃ cōmodissime aperiam9: quod si hec diligēter tenueris ex ifi nito pene harū rerū numero alia quedā nō mi nus fortasse vtilia: sed multo grauiora subnec tā quāobrē vt facis cupidissime studia lrārū cō plectere: & que indes assequere ad excerci/ tationē accomoda.

Conclusio.

coinne

**C**ompletum Neapoli Anno domini Mil lesimo quadrigētesimo septuagesio quar/ to: die nona mensis Marcii: per Arnal/ dum de Bruxella. & Anno salutis. M. CCC. Lxxix. ij. Maii. Serē<sup>mo</sup>. D. Ferdinando Arago num/ & Castelle Rege foeliciter regnante hoc opusculū una cum aliis hic ligatis. Pe trus Michael Carbonell<sup>uit</sup> p̃tio soluto cōpara.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

